Ad cor tuum reuertere conditionis misere homo cur spernis uiuere cum dedicatus es uiuens cum indulges malis [illegible] [illegible] tuis

tuis dum g[illegible] in semitis iustitie sed cur a te contumacie nam exasperas gratie fontem [illegible] meritis iudices sicut [illegible] [illegible] fructus [illegible] [illegible]

Incipit prologus domni haymonis in expositione apocalypsin.

LEGIMUS IN ECCLESIASTICA HYSTORIA BEATUM IOHANNEM a domitiano impiissimo cesare in pathmos insula religatum. exilio deputatum. metallo dampnatum. ob insuperabilem euangelii predicationem. ut ibi forsitan secreta marmora. vel terram foderet. aut his similibus preceptis deseruiret imperalibus. sicut legimus factum in passionibus sanctorum martyrum. Ubi quanto magis putabatur uinciri custodia humana. tanto magis metas humanitatis transcendens. meruit uidere celestia. Et cui certa negabantur spacia terrarum excedere. secreta sunt concessa penetrare celestia.

Et quanto magis destitutus est humano solacio. tanto ei affuit diuinum. Ibique meruit uidere hanc prophetiam de statu presentis et future ecclesiae. que inter reliquos noui testamenti libros prophetia nominatur. sicut in sequentibus dicitur. beatus qui legit uerba prophetiae huius. Sed tanta distantia est inter hanc prophetiam et eam que reuelata est ante aduentum domini. quanta distantia est inter seruum et dominum. inter legem et euangelium. inter deum et hominem. Quia quod illi cernebant a longe uenturum. hoc iste iam et ex maxima parte factum. et in presenti faciendum ostendit. Nam sicut beatus iohannes baptista idcirco maior habetur omnibus prophetis. quia quem illi predixerunt. iste digito demonstrauit. ita et hec prophetia maior est omnibus. quia ea que antiqua prophetia reuelanda predixit. hec reuelata ostendit. In hac autem reuelatione nihil hystoricum est accipiendum. quod ipsa uerba si subtiliter inspiciuntur docere probantur. Neque enim hoc fieri potest ut pauca e multis dicam. quod uiderit ueraciter equos in uisione. quorum ascensores haberent loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas. Tria namque genera uisionum patres nostri intellegenda dixerunt. Primum scilicet corporale. sicut uidemus oculis corporis celum. terram. solem. et lunam. ceteraque huiusmodi.

Secundum spiritale quod fit in extasi. id est in excessu mentis. siue uigilantibus siue dormientibus uiris. quando non res corporales. sed similitudines rerum corporalium intuentes. futura ibi presagiunt mysteria. Quod genus uisionis commune est iustis et reprobis. sicut nabuchodonosor uidit lapidem precisum de monte